

4.

DE  
TYPHO CONTAGIOSO  
DISSERTATIO,

---

CUYUS PARTEM QUARTAM  
VENIA EXPERIENTIIS. FACULTATIS MEDICÆ ABOENSIS

PUBLICÆ CENSURÆ SUBJICIUNT

ISRAËL HVASSER,

MED. DOCT., CH. MAG., MED. PRACT. PROFESSOR F. & O. BEGII  
COLLEGII SANITATIS HOLMIENSIS MEMBRUM.

E.T.

FREDRICUS GABRIEL SANMARK,  
STIPENDIARIUS PUBLICUS SASTACUNDENSIS.

IN AUDIT. MEDIC. DIE XI MARTII MDCCXVIII.

H. A. M. S.

---

A B O Ä

EXCUDERBANT J. C. FRENCKELE ET FIL.



scrutatores, inter quos Marcus in Germania & Clutterbuck in Anglia imprimis sunt nominandi, acumine vere pathologico perspexerunt, stupore & temulentia insignitam cerebri affectionem quasi caput esse, in quo posita est ipsa febris essentia, cuius vero nullam animo concipi posse imaginem, nisi antea bene exposita hujus lœsionis natura. An vero hisce pathologis, in inflammatione cerebri eam quærentibus, successerit internum symptomatis hujus fontem aperiundi conamen, alia superest quæstio, eorum in partem vix dirimenda. Quibus hanc stabilitam voluerunt hypothesin, experientia fundamenta, in eo partim posita sunt, quod incisis eorum cadaveribus, qui vitam in febri typhode posuerunt, nonnumquam, ut supra poluimus, visa sint certa & evidenter præviæ cerebri inflammationis vestigia, partim in eo, quod antiphlogisticam ab initio methodum plerumque postulet febris typhodes, remediis incitantibus in pejus ruitura; priori autem huic argumento recte opponitur, paucos admodum esse casus, ubi, quæ præviam indicent cerebri inflammationem, repertæ sunt in sectis cadaveribus destructiones, si ad frequentiores respexeris, in quibus non mutatam videre licuit hujus organi structuram. Methodum autem antiphlogisticam esse in primo febris stadio curando indicatam, verum quidem est, sed ad enuntiatum, quod laudati faciunt auctores, probandum tanto minus valet, quanto certius constat, minoris momenti esse cerebri in primo stadio affectionem, ubi antiphlogistica indicatur methodus, quem in posteriori contra periodo, ubi jam magis increvit cerebri vitium, non sine magno ægrotantis periculo antiphlogisticam tentares curandi viam bene & contrario respondentibus, quæ incitant, remediis. Quod si is incideret casus, ut vera cerebrum afficeret inflammatio, mox etiam symptomata febris modo valde con-

specie mutata videbis, nec erit ulterius, quod typhum appelles morbum, encephalitidis jam nomine rectius insinendum, qui, ut talis, longe aliam curationis viam inire jubet. (Fordyce). Si inflammatio, h. e. topicum vis organismi plasticæ seu reproductivæ, quæ dicitur, incrementum, fomes esset vitii, quo urgetur in febri typhode cerebrum, necesse est, ut aucta, quæ in phlegmatis nervoso prævalet, arteriosi systematis actio, irritationem systematis vascularis deprimendo, cum ipsis symptomatibus una evanescat, quod tamen usū non venit, sed accrescendo pergit laesi cerebri indicium, temulentia, quamvis vel infra normam deferuerit arteriosi systematis æstus. Quum igitur ea cerebri affectio, ex qua characterem trahit febris typhodes, nec symptomatibus, quibus sese manifestat, nec curatione, quam indicatam probavit experientia, nec denique phænomenis, quæ in hominum sub hac temulentia extinctorum cadaveribus sectis exstitetunt, cum inflammatione cerebri congruat, certe non potest enuntiatum illud, quo ambas has morbi formas ejusdem naturæ voluerunt, quin in meram nobis abeat hypothesis, quæ ut perniciosa & in perversam inducens curationem est rejicienda, cerebri que in typho stupidæ conditionis natura, e suis tantum symptomatibus cognita, ad ea recte refertur problemata pathologica, quæ suam adhuc explicationem desiderant.

Quam imprimis urget Hartman, ipsam febris typhidis essentiam esse in oxygenii, nescio quo, apud organismum defectu positam, pauciores sectatores habuit hypothesis, quam, quæ supra posui, typhi naturam explicandi conamina. Magis etiam iatrocchemica videtur, quam quæ in fidem sese insinuare possit. Quæ, posita hac sententia, fieri potest symptomatum explicatio, non ea est, quæ nobis plane satisfaciat, paucioraque sunt & infirmio-

ra, quibus stabilitur, contemplativa & empirica funda-  
menta, quam quæ veri disciplinabilis medicinæ profes-  
foris interesse certumque therapiæ ad propositum recta  
prodituræ principium suppeditare possint.

Quod si ipsa igitur febris typhodis essentia iis adnu-  
meranda est questionibus, quæ suam adhuc enodationem  
expectant, & quæ facta sunt, claram naturæ ejus ideam  
exponendi pericula, in irritis etiannum inceptis ponenda  
sunt, tum quod ad theoriam spectat, non possumus non  
rationali acquiescere exteriorem febris formam explicandi  
rationi &, quæ observationibus inititur, symptomatum  
constructioni cum deducta inde mutuæ eorum relationis idea.  
Apud hominem typho laborantem læsæ reperiuntur & vascu-  
laris & nervosi systematis functiones, sed in primo febris sta-  
dio nullis causarum nodis cohædere videntur hæc utriusque  
systematis vitia; propriis, quæ septimo vel nono die ac-  
cidunt, crisibus defervet æstus, quem in systemate vascu-  
lari movit causa morbi excitans, neque tamen idcirco  
definit systematis nervosi affectus, sed crescit contra, eo  
vehementiæ procedens, ut hinc novo incremento augeat-  
tur systematis vascularis actio, unde criticæ, quæ sublatum  
systematis nervosi adfectum comitantur, evacuationes  
eveniunt. Potest supra modum aucta systematis vascularis  
actio, quæ in phlogistica ægrotantis diathesi vel  
eum circumstantibus rebus causam habet & ad topicas ac-  
cendendas inflammations tendit, facilem, ad quam certe  
disponit febris typhodes, encephalitidem excitare, quæ a-  
liis jam sese manifestans symptomatis, originario non  
amplius insignitur febris charactere. Sin autem aula va-  
forum actione in inflammationem non abiret idiopathi-  
cus cerebri affectus, sed suum retineret characterem ry-  
phicum, tum hic, ut sub posteriori febris studio ad fani-  
tatem

tatem fedire possit, tantam requirit systematis vascularis agendi facultatem, quanta ad criticas, quæ finiendum morbum comitari solent, evacuationes perficiendas necessaria erit. Quod si per se vel per nimium antiphlogisticae methodi usum necessaria illa vi careret systema vascularre, tum protecto aut debilitate moritur homo, aut non nisi pedetentim recuperat valetudinem, quæ vero sic ad priorem numquam perveniet perfectionem. Quanto intensior est illa cerebri affectio, tanto ad eam tollendam magis necessaria erit incitata hæc systematis vascularis actio, qua criticæ perficiuntur evacuationes. Quæ primo febris stadio admoventur, potestates incitantes majus topicalum, quæ quidem fieri posunt, inflammationum periculum moliuntur, eam insuper vim indirecte frangentes, quæ posteriori febris periodo est ad criticam systematis vascularis actionem necessaria; remedia vero debilitantia, quæ ineunti febri adhibentur, systematis vascularis irritationem impediunt, quominus hæc normam excedens aut locales accendat inflammations, aut actionibus justo incitatoribus suas exhauiat vires, at si nimius eorum usus urgetur, in tantum deprivi potest systematis vascularis vis, donec ad criticas evacuationes perficiendas nihil amplius valeat.

### §. X.

In historico diversarum, quas in curanda febri typhode ingressi sunt, viarum examine nihil ego temporis consumens, ea tantum therapiæ præcepta exponere conabor, quæ ex vera provenerunt experientia summorumque sic medicorum præsidio & auctoritate valent. Enixe quidem multi, quæ directam in interiore illum organismi statum, ex quo proficiuntur symptomata febris typhoidis, efficaciam exhiberent, remediis studuerunt inveniens,

dis; quum vero interioris hujus nondum certo explicabili status nisi hypotheticas proponere non potuerint ideas, necessario factum est inde, ut pathologi, qui in disquisitionibus suis ad præsumtam magis attenderunt hypothesin, quam ad res veras, quæ præjudicatis opinionibus libero animo observanti se se obtulerunt, ejusmodi statuerint curandi rationes, quæ principio falsæ perniciose sunt usu. Hæc satis testantur methodi, quas dicunt, diaphoretica, antiphlogistica, incitans & mere antiphlogistica. Alii contra, ex iis initis egressi, scilicet inexplicabilem esse internam febris typhodis naturam, quæ directas in eandem vires exferant. remedia dari nulla contendunt, curationemque sic esse indirecta methodo circumscribendam, h. e. nisi debere curationem in diligentia eorum symptomatum observatione, quæ solutionem febris comitantia pro spontaneorum naturæ molimini effectibus haberi posfent, quibus igitur succurrere unicum esset medici officium, quandoquidem ob inexplicabilem internam morbi naturam efficaciori ratione grassari non valeat. Symptomata febris activa quamvis vis naturæ medicatricis efficaciam indicent, cui medicamentis est succurrere, maximique sint, quæ hinc deducuntur indicationes curatoriaræ, ad medendum momenti; monente tamen experientia fatendum est, non hac passiva tantum opera circumscribi artem, sed remedia callere, quibus directe in esentiam morbi internam exferere vim posse videunt, quum symptomata ejus sic vel minuantur vel evanescent, licet non ex hinc orientur organismi actiones, quæ illis analogæ sint, quas spontanea procreant naturæ molimina. Ipsa vero horum remediorum ad effectum perveniendi ratio inexplicabilis semper maneat necesse est, quamdiu internæ morbi naturæ idea pathologiam deficit vera, plenam tamen a therapia fiduciam sibi nihil feciū vindicabunt hæcce remedia, quamdiu pre-

tium eorum defendet experientia testis. Quibus rationa-  
lis febrim typhodem curandi methodus inniti debet, in-  
dicationes generales, in eo positæ videntur, quod expe-  
rientialia duce ea adhibeamus remedia, quæ directam, quam-  
vis inexplicabilem, vim in ipsam morbi essentiam exse-  
rant: quod convenienter characteri, quem in diversis  
morbi stadiis produnt symptomata, ea sequamur præ-  
cepta, quæ ex generalibus deducuntur therapiæ prin-  
cipiis: quod tandem ab iis moniti symptomatibus, quibus  
spontanea manifestantur, quæ ab arte non pendent, na-  
turae molimina, his succurramus vel, si absunt, sarciamus  
imitando.

Quæ, ut primæ satisfiat indicationi, possunt experi-  
entia teste cum fructu adhiberi, remedia sunt: 1) *Ex aqua  
frigida perfusiones.* Remedium illud recentiori ævo tan-  
topere laudatum eam in curanda febri typhode efficaciam  
exseruit, quæ, quamvis fieri nondum possit theoretica,  
qua contentus sis, ejus explicatio, fidei tamen sibi vindici-  
catæ præsidium habet in experientiæ testimonio firmum.  
Qui multiplicibus experimentis indicationes & regulas in  
ejus usu observandas quæsiverunt, auctores imprimis sunt  
Jackson, Wright, Currie & Horn. Capite hominis, quem  
febris typhodes male habet, frigida aqua perfuso tolli  
symptomata, quæ cerebri adfectum indicant, evidentissi-  
ma quidem res est, sed inde non sequitur eandem medi-  
cinam in quocumque casu, ubi ista adsunt symptomata,  
nullo ad stadium febris & reliquam corporis conditio-  
nen habito respectu, semper esse adhibendam. E con-  
trario necesse est, ut constitutioni corporis & omnium,  
quæ formam febris constituunt, symptomatum complexui,  
in universum consideratis, innitatur rationalis hujus mo-  
dicaminis ulus. Nam si renitens systematis vascularis vis  
infra

infra eum depressa est gradum, qui externam illam vim  
vehementem adæquat, efficaciam directe debilitatem ha-  
bet aqua frigida. Quod si systemati vasculari fatis super-  
est virium, quibus influxui huic renitur, tum stimulum  
efficit frigida, qui systematis arteriosi actionem auget,  
ex quo fieri naturæ convenit, ut, si systematis hujus actio  
locali prævalet auctu, hic tum necessario capiat incremen-  
tum. Ex quibus iterum efficitur, ut, quando minuta est  
systematis vascularis actio, quemadmodum fieri solet apud  
hominem originitus debilem & semper fere in ultima fe-  
bris periodo, perfusiones ex aqua frigida tum non sint  
adhibendæ; sicuti tum etiam earum interdicitur usus, quan-  
do in nobiliori quodam vitæ sustentandæ necessario vi-  
scere locali quasi æstu prævalet aucta systematis vascularis  
actio Justum igitur, quo sub normali febris decursu ad-  
hibendæ sunt, tempus in tertium & quartum incidere vi-  
detur diem, quando experientia teste, quinto plerumque  
die eruptorum sic promoveretur exanthema. Nec sequen-  
tibus item diebus ad easdem sine fructu recurritur, quam-  
diu ferveat systematis vascularis irritatio nec locales, qui  
pericula minentur, adfectus continuato earum usui recla-  
ment. Quando cum maxime exacerbatur febris, recte  
admoventur perfusiones, quare etiam vespertinas septimam  
inter & nonam horam fieri jussit Currie. Quæ vero se-  
ptimo vel nono die adveniunt, evacuationibus criticis ma-  
jorique easdem comitanti remissioni est a perfusionibus,  
secundum generale illud præceptum therapeuticum, quod  
fortioris medicaminis interventu critica turbare vetat na-  
turæ molimina, caute cedendum. Sub nervoso stadio in  
universum quidem interdici videntur, quoniam tum ple-  
rumque deficiunt systema vasculare contra influxum earum  
vires agendi, at sæpe tamen in hoc quoque stadium, ma-  
xime ejus initium, eæ incident oœtayo vel decimo die  
febris

febris exacerbationes, quas magnus comitatur calor celerque arteriarum pulsus ubi cum utilitate, licet magna simul cautione, possunt adhiberi. Qua demum ratione instituantur ejusmodi perfusiones, adeo inter omnes constabit, ut meam heic non desideret explicationem. Schmuckeriana, quæ dicuntur, fomenta frigida, quæ commendavit Horn, in mitigatoriis tantum medicamentis forsitan ponenda sint, quandoquidem vero in ea suam vim exferunt symptomata, quæ directe ex ipso proveniunt cerebri affectu, in quo posita videtur vera febris essentia, tanto magis præcipuum sibi vindicabunt respectum quod dubiis in casibus maxime adhiberi possunt, eodem atque ex perfusionibus periculo non timendo. — 2) *Murias Hydrargyrosus* s. *Hydrargyrum muriaticum mite* s. *Calomelas*. Hunc auctam systematis vascularis actionem minuere organorumque fecernentium simul agendi vim augere, satis vulgo probata est sententia, quam testatiorem etiam faciunt comoda, quibus in morbis inflammatorii insignitur Calomelanos ulus; sed ad antiphlogistica tantum virtutem non restringitur ejus in Typho utilitas; cum opio, camphora vel moscho conjunctus præcipua pollere videtur efficacia, ut ad deprimendum irritativum systematis vascularis statum, ita etiam ad tollenda symptomata, quæ idiopathicam indicant cerebri læsionem. Indubitata igitur manet ejus in primo febris stadio utilitas, quoniam efficacia sua, quam alia medicina, plerisque magis satisfacit indicationibus, quæ in hac periodo medicantis sibi poscent attentionem. Qualitate vero, quæ sua est, plane antiphlogistica in nervoso nequaquam prodest febris studio, ubi infirmiorem significat sistema vasculare vim agendi. Quemadmodum etiam insunte febri, prius quam magis jam increverit systematis vascularis irritatio, superbacaneus esse videtur, Solent autem hujus medicaminis unum

unum vel bina grana dari cum dimidio opii vel uno camphoræ vel molchi uno cum dimidio grano, quæ portio pto vehementia febris pluries die repetitur. Qui imprimis hanc medicinam commendant, auctores sunt Maclearly, Wright, Brandis & Hecker.

3) *Antimonialia & rad. Specacuanbiæ dosi refracta.* Inneunti morbo adhibita hæc remedia febrim lusculiste contendit Fordyce, aliisque in casibus decursum remissioribus symptomatibus insignitum præparasse. Eadem quoque commendat Cullen, sed quantitate, quæ nauseam movere possit, data vult. Contra hæc Fordyce, si nauseam faciunt, aliqua ad symptomata febris minuenda efficacia pollere negat, quare tantula dari jubet portione, quanta facere non possit nauseam, quæ si nihilo fecius accideret, ex toto delistendum est. Idoneum vero, quo adhibeantur, tempus est iniens stadium febris inflammatorium, ab exeunte frigore ad tertium quartumve usque diem. Quod spontaneos in hoc stadio vomitus sequitur, levamen &, quem habent hæc remedia, utilitas, utraque indicare videntur abnormalem, quæ adest, ventriculi actionem nervorum vagorum ope, orgiiorum inter hoc viscus & cerebrum traducentium, hujus in typho conditionem salutari afficere vi quasi reperclusi.

4) *Vesicatoria.* Quæ cutem topice afficiunt, stimulantia morbos interiorum organorum ad ectus derivando minuere, in therapia perpetuam est, quod in typho etiam curando respondet. Scilicet his auxiliis minuuntur idiopathicæ cerebri lesionis symptomata, augescente simul cutis actione. Systemate vaculari vehementer irritato, magnum in modum his medicaminibus augeri potest æstus, quam ob rem ab initio febris vel sub inflammatorio sta-

dio fugienda sunt, quippe quum, quæ localia alias forent stimulantia, jam in universalia abeant, quorum usum hujus stadii symptomata non admittunt. Neque tamen hanc cautionem curavit celebris ille Lind, qui vesicatoria semper imposuit, simul ac major stuporis gradus affectum cerebri indicaret, contrariam, quæ ex aucta systematis vascularis actione desumitur, indicationem non agnoscens. Hanc vero sine discrimine vesicantia adhibendi rationem nos tanto minus sequendam putamus, ut hoc potius tenendum nobis videatur præceptum, numquam nisi in nervoso febris stadio, nimia systematis vascularis vi agendi jam fracta, admittenda esse vesicantia, ut sic nihil inde detrimenti capiat æger. Cervici, humeris & furis maximo cum fructu imponuntur. Inter auxilia vero, quæ ad propositum optime respondent, ceteris palmarum præcipiunt cantharides & sinapismi. Quod si jam adest vel ex ingenio epidemiarum timetur aliqua humorum dissolutio, plerique tum suadent auctores, ut intra robefacientia substitatur, vesicatoriis caute vitatis, ne maglignæ alias oriuntur exulcerationes.

5) *Campbora*. Excellens remedii hujus in sistema nervosum agendi vis, quam in nervoso typhi stadio præcipuam ad minuenda & tollenda idiopathicæ cerebri læsionis symptomata experti comprobant medici plerique, summa therapeutorum attentione fiduciaque dignos profert affectus. Auget præterea vasorum exhalantium actionem, criticas sic per organa secernentia evacuationes promovens, quamvis systemati vasculari universalem raro admoveat stimulum. Turbulentias in diversis corporis partibus e lœsa nervorum vi prodeuntes actiones sedando, convulsiones loquor & dolores, spasmosque solvendo tam organicas quam animales ad normam reducit functiones.

*Riones.* Camphora autem, ut in nervoso febris stadio valde prodest, ita in primo & inflammatorio maxime nocet, quamvis ad motus inflammatorios augendos, quam alia incitantia, minus sit prælens. Quando vero exacto jam septimo die sedataque nimia valorum irritatione, symptomata nervosa præcipuam a medico postulant animi attentionem, magno cum émolumento prescribitur camphora. Quamvis de portione sumenda varient medico-rum præcepta, in universum tamen statuendum putamus, quantitatem quoque die dandam, quæ a symptomatum vehementia pendebit, duodecim inter & quadraginta grana versari. Celeberrimos inter auctores, qui camphoræ adversus typhum efficaciam laudarunt, numerandi sunt Cera, Callisen & v. Hildenbrand.

6) *Flores & radix Arnicæ.* Illustrissimi agnoscunt artis salutaris profesores hæcce medicamina præcipuam præ ceteris incitantibus centrale nervorum organum alterandi vim possidere; ad stuporem, vertiginem & deliria in typho lenienda, si nempe in stadio nervoso, cum systematis Arteriosi jam deserbuerit astus, adhibeantur, valde efficacia esse testatur peculiaris experientia. Quod ad quantitatem sumendam attinet, eadem pro varia symptomatum vehementia & sua cujusque ægrotantis, quæ dicitur, receptivitate, est varianda. Si tribus vel quattuor florum drachmis sufficiens aquæ servidæ quantitas ad legem artis affunditur, idoneam, quæ quotidie sumatur, portionem haberi putamus. Qui imprimis arnicam in typho commendarunt, auctores sunt Stoll, Collin, Althof, v. Hildenbrand & Jof. Frank.

7) *Mysobus.* Præstantissimum hocce a plerisque Medicinæ profesoribus justa laude celebratum medicamen, pecu-

peculiarem ad augendam sensibilitatem ideoque ad minuendum cerebri in typho affectum idiopathicum, exferere vim testatur experientia. In majori periculo, quod interdum minantur stupidia hujus organi conditio & quæ inde proficiscitur, virium prostratio, quomodo, alis remediis frustra tentatis, opera medentis jam irrita jaceret, ad hoc spei vacillantis præsidium sæpe cum fructu refugitur. Quamvis in nervosa febris periodo, increascentibus jam stupore aliisque idiopathicæ cerebri laesionis symptomatibus, imprimis necessarium judicetur, attamen in stadio inflammatorio, si hoc suadent, quæ suis cujusque ægrotantis conditionibus innituntur, indicationes, etiam sine ullo irritationis supra modum augenda periculo adhiberi potest, præsertim si cum muriate hydrargyroso, ut supra monimus, conjunctum datur. Diaphoresis augendo, criticas etiam evacuationes promovet. Dosi, prout suadent gradus & ratio symptomatum, inter grana quatuor & scrupulum dimidium variante, secunda aut tertia quaque hora exhiberi debet.

Præter hæc jam memorata remedia, quibus ad commutandum interiorem illum statum, ex quo characteristica febris typhoidis symptomata proficiuntur, præcipua magis efficacia non abjudicanda videtur, rationalis etiamnum postulat curandi methodus, ut, quæ ex generalibus therapiæ principiis deducuntur, præcepta observentur. Inter hæc primum est, ut æger, quantum per res circumstantes fieri liceat, ab influxu defendantur potestarum nocentium, quarum injuriaæ morbum fecerunt. Quoniam pro præcipuo causarum momento habendus est æter or ganicas effluviis admistus, necesse est, ut in curando typho exquisita circa res omnes, quibus aliqua cum ægro vicinitas est, observetur mundities & impeditis, quomodo nus